



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Martyrius Christum in specie leprosi domum portat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

in hac vita, Purgatorij sui pœnas pensare posset. Beneficij enim loco, posuit, ægrotare, & huius vitæ cruciatu luere, quod in alteram vitam dilatum longè sciuit caussam esse suppliciorum, acerbiorum. Exaudita est; & ad Iobi imitationem, vlcere pessimo percussa. Et quamquam vlcus illud vnicum erat, tamen, grauissimum fuit, quippe quod ori insederat. Quam ob caussam non solùm summa erat illi cibi sumendi difficultas, sed etiam nō sine magno dolore loquebatur. Et quām molestē illi acciderit ea plaga, vel inde intelligi potest, quod ijs, qui cum ea sermocinabantur, nauseam vomitumque mouerit. Durauit hęc crux usque ad mortem Petronillæ, quæ eam equissimo semper animo tulit. Patientię & coronę indicium fuit, quod grauissima illa oris mephitis, post mortem, in suauissimum illico, ac velut Elysium odorem fragrantiamque fuerit commutata. Hunc Petronille morbum atque hanc intolerabilem alijs camerinam Victoria arripuit in usuram charitatis & tolerantię prouentum. Nam usque ad extreum spiritum illi adfuit, dies noctesque inaudito patientiæ ac perseverantiæ exemplo verbis eam, consilijs, & seruitijs consolans. A qua meritò discunt filiæ parentibus; filijs parentes; subditis superiores, & sani ægris succurrere. Siquidem si nulla alia esset morborum caussa, hęc sufficeret, ut mortalibus caussa patiendi & succurrenti suppeditetur. Ideò alijs ægrotantibus, alij valent, ut inualidis exhibeant charitatem; faciantq., quod sibi fieri vellent, si ipsi decumberent; aut quod fieri volent, cūm decumbent.

VII.

S. Gregor.
lib. 1. cap. 11.
dialog.

Quidam, in hospitali domo, aut Valetudinarijs, exiguae pecuniolæ caussa, non horrent foedissimo morbo laborantibus ministrare. Longè maius lucrum in cælo repositum est ijs, qui sola charitate tracti astare ægrotis, eisque inferuire non detestant. Quamquam idipsum magni ab ijs faciendum est, quod in ægrotis ipsi Christo seruant, qui sèpius ægroti forma se se misericordibus obtulit. De Martyrio D. Gregorius narrat, cum signo crucis panem fecisse crepantem; alij memorant, eum leprosum humeris suscepimus ad cœnobium apportasse; iamque non procul distantem clamasse: *Accurrite citò, fratres mei, O portas reserate: frater enim Martyrus Christum Dominum vobis ap-*

portat. Hæc cùm dixisset vocaliter, respondit leprosus: *Martyri,*
quia me non erubuiſti, in terris, neque ego te, in calis, erubescam. Et
 cum dicto euanuit, non leprosum se, sed ipsum fuisse Christum
 significans. Nempe quidquid ægrotis sit, amore Christi, Christo
 fit olim dictu: *Infirmus eram, & visitasti me.* Consimili euen. *Matth. 25. 36:*
 tu, dissimili exordio S. Iulianus leproso sese præbuit hospitalem,
 cuius historia cum sit mirabilis autoritate est firmando. Sed,
 ante omnia, euertenda est eorum opinio, qui suarum virium mo-
 dulio omnia metientes, quidquid audiunt mirabile, fictum esse
 atque fabulosum arbitrantur; quasi diuinæ sapientiæ thesaurus,
 non altiora consilia & rationes habeat, quam humana simplici-
 tas assequi possit; aut quasi non soleat esse *mirabilis Deus in San-* *Psal. 67. 36:*
dis suis, quibus non raro extraordinarijs modis conciliat autho-
 ritatem, eaque ipsa re prouidentiæ sua arcana mortalibus mani-
 festat. Eiusmodi criticorum nimis sapere volentium incredu-
 litate insuper habita, cum sancto rege dicam: *Narrabo omnia mi-* *Psal. 9. 2:*
rabilitatua. Neque altera me, quæ potest afferri, obiectio deter-
 ret, *Narrari scilicet, quod relatus sum, in Gestis Romanorum, li-*
bro utique fabuloso. Nam et si inibi narretur, narratur tamen etiam
 alibi: haberem pro fabula, si inibi solùm narraretur, sed fidem
 illi facit alias & nominatus & eruditus author. Mos vetus est,
 vt fabulis historiæ misceantur: neque omnia, quæ à fabulosis
 scribuntur, sunt fabulosa. Alioqui ne Roma quidem esset, quan-
 doquidem ea sèpius à Marone alijsque Poëtis decantatur. Nar-
 randam igitur historiam in hunc ferè modum refert idoneus
 Author.

Petrus in
Catalogo
lib. 3. cap. 56:

VIII.

S. Iulianus cognomento *Hospes*, venatione in abdita silue
 abductus, ceruum sequebatur, à quo cùm iam non procul abef-
 set, eum sagitta icturus; conuertit se se repente fera, atque inusi-
 tato prodigio, instar asinæ Balaam, loqui cœpit, eiisque parricidiū
 prædictit. Quippe disertis verbis significauit, fore, vt parentes
 aliquando ipse suos perimeret. Perculit insolita vox juuenem,,
 & criminis magnitudo; quod vt vitaret, fugit, patriamque
 vtroneus exul deseruit. Sed non poterat diu indeoles latere. In
 Principis cuiusdam aula ita se aduena probauit, vt in militiam
 cum authoritate missus, mox etiam in belli ducem promouere-
 tur.